

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Joh. Andr. Qvenstedii, SS. Theol. D. & Prof. Publ. Ordin. in
Acad. Witteberg, Ethica Pastorum, & Instructio Cathedralis,
sive Monita, Omnibus ac ...**

Quenstedt, Johann Andreas

Wittebergæ, 1708

VD18 13565508

IV. Pios, Eruditos & Orthodoxos S. Scripturarum Interpretes & Commentatores
consulat, & Concordantias adhibeat.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213082](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213082)

plus satisfritis, & inter alia dicit pag. 8. & 9. Nominare poteram insignes Theologos, qui Codicem priorem illum ipsum in atate senili mutare noluerunt, cui in pueritiâ assueverant, quamvis nunc erat usu nimio attritus, nonnihil commaculatus & laceratus &c. Et post pauca; Pro quotidiano superius indigitato usu plusquam aureo cum facilitate magnâ obtinendo vetus & consuetus præsertim Bibliorum vernaculorum codex semper usq; ad finem vite servabitur & commodissime usurpabitur.

IV.

Pios, Eruditos & Orthodoxos S. Scripturarum Interpretes & Commentatores consulat, & Concordancias adhibeat.

Εἰς τὴν αἰσ.

IN accuratiore S. Scripturæ lectione Commentariis opus esse, nemo non videt. Neq; enim illo ingenio aut eruditione quisq; præditus est, ut Scripturarû oracula & articulorû fidei mysteria proprio Marte intelligere possit. Extant autem plurimæ diversorum Interpretum Commentationes in Mosis, Scripturarum

rarum Oceani, πεντάβιβλον & reliqua sanctissima Prophetarum, Evangelistarum & Apostolorum scripta. Inprimis spissa & grandia volumina, Commentariorum titulo, in varios imò omnes Scripturæ Libros emissa sunt ab iis, qui aliàs parum honestè de Scripturis divinitus inspiratis sentiunt, de earum corruptis (ut loquuntur) fontibus, obscuris & ambiguis sensibus, imperfectis & mutilis documentis & parum necessario usu, prolixè declamant; Qui sapientis cerebri sui figmenta & commenta pro Commentariis obtrudunt; Scripturæ verba sollicitant, sententiās torquent, ad falsa sua dogmata perverse trahunt, illisq; ad errores suos palliandos abutuntur. (Qua de re Hieronymus jam suo tempore conquestus est Epistola ad Paulinum Tom. III. Quidam, inquit, ad sensum suum incongrua aptant testimonia, quasi grande sit & non vitiosissimum docendi genus, depravare sententias, & ad voluntatem suam Scripturam trahere repugnantem) Pontificios dico, qui plurima & infinita propemodum nova & Scripturis inaudita dogmata, puta; Papæ Monarchicum Imperium, ἀναμαρτησίαν & infallibilem Spiritus S. assistentiam, Imperatores & Reges instituendi, deponendiq; potestatem, non vos fidei articulos condendi licentiam; bonorum

norum operum merita, adminicula, præsidia,
 suffragia, quibus animas ex purgatorio libe-
 rari fingunt; incertitudinem Gratiae, Septena-
 rium Sacramentorum numerum; Transsub-
 stantiationem; ademptum Laicis Calicem;
 Missas & Communionem sine Communican-
 tibus; sacrificium Christi incruentum; i-
 maginum cultum & adorationem; reliquia-
 rum venerationem; divorum invocationē
 & in præsidio & auxilio eorum positam fi-
 duciam, Cælibatum Clericorum, Limbum
 Patrum & Infantum, purgatorii figmentum,
 vota monastica, satisfactiones proprias, ex-
 pressam & specialem coram sacerdote singu-
 lorum delictorum enumerationem, & id ge-
 nus sexcentas alias nugas, ineptias, supersti-
 tiones & erroneas, hæreticasq; opiniones tra-
 diderant, & in Ecclesiam Dei invexerant, ne
 verò talia sine Scripturâ asserere videantur,
 coelestia oracula adulterare, falsò & ineptè
 interpretari, perversè applicare, malitiosè de-
 pravare & ad errores suos statuminandos
 violenter detorquere, nō conquiescunt, nec
 erubescunt. Neq; enim controversias ad in-
 terpretationem genuinam, sed dictorum
 interpretationem ad controversias modi-
 fificant, & nemo fermè est, qui sine præjudi-
 cio ad commentandum accedat, ut benè mo-

net B. Hülsemannus in Meth. Stud. Theol. p. 289. Ac præterea sensus Mysticos plerumq; magis venantur, quàm sensum literalem, imò, quia varios sensus scripturæ affingunt, mentem Spiritus S. verius obscurant, quàm illustrent. Taceo insulas, absurdas & sæpè impias Sacrarum Literarum Interpretationes, quibus vicio Vulgatæ Editionis, quàm Papistæ in fastigium dignitatis authenticæ evehunt & cui supra textum Originalem *Δεῖν* *ἀνευ* *τοῦ* *κειμένου* eminentiam tribuunt, Pontificiorum Commentaria scatent. Horum itaq; ut & *Reformatorum*, qui Heterodoxias suas passim inspergunt, & sacros textus in sectæ suæ commodum astutè detorquunt, Commentarios cautè legat futurus Concionator, & non nisi iudicio jam firmato ac vera à falsis discernere valente. *In reformatis Interpretibus omnibus* (benè monet Dn. D. Calovius in Præloquio generali præmissio Bibliis V. T. illustratis p. 10.) *qui non in Criticis solum hærent, id desideratur meritò, quod præconceptis opinionibus fascinati, quæ in Mateologia Calvinianæ religionis utramq; paginam faciunt, à literæ textus proprietate discedant, suisq; tropis & figuris quandoq; etiam planè novis & omnibus Rhetorum scholis inusitatis indulgeant. A Photiniano, Socini, Crellii, Slichtingii, Wolzogenii,*
&c.

&c. & Arminianorum, ut Episcopi, aliorumq;
 Commentis & glossis, in S. Scripturam editis,
 prorsus absteineat Evangelii Præco, hi enim
 in Sacras Literas illotis, quod dicitur mani-
 bus irruunt, ac cælestium verborum simplicita-
 tem pro voluntatis suæ sensu, non prosperitatis
 ipsius absolutione suscipiunt aliter interpretan-
 dam, quam Dictorum virtus postulat, ut lo-
 quitur Hilarius, Pictavorum Episcopus,
 Lib. I. de Trinitat. ab initio. Photiniani
 præsertim eos sacris textibus inferunt sen-
 sus, quibus S. S. Trinitatem, fidei nostræ
 Acropolin, æternam Filii DEI Generatio-
 nem, Incarnationem, Unionem persona-
 lem, Spiritus S. Deitatem & personalitatem,
 Christi satisfactionem, divinam Sacramento-
 rum efficaciam, carnis nostræ resurrectionē,
 ac omnes reliquos fidei Christianæ articulos,
 atq; sic universam hominum salutem tan-
 tum non funditus everrunt. *Res ipsa docet,*
 inquit Dn. D. Calovius in Socinismo profligato
 Tract. 2.º. memb. 2.º. pag. 27. quomodo
 Sociniani, tum ob ea, quæ negant Catholicæ
 fidei dogmata, tum ob nova, quæ excogita-
 runt sibi commenta in Pseudo-Theologia suâ
 Scripturas S. torqueant & pervertant; Post-
 quam illa sibi neganda, hæc, adstruenda cæce
 rationis impetu semel construxerunt. Arminiani

quoq; verbi divini veritatem in plerisque religionis capitibus glossis perversissimis indubium vocant & pyrrhonismo Academico exponunt. Cavendum ergo sedulo, ne heterodoxi aut suspecti legantur Scripturarum Commentatores. Nam primâ facie non insinuant sese statim errores, sed vel *in principiis* latent, & *hypothesibus* vel *sub verborum involucriis*. Quod verò consilium S. Hieronymus, Furia, doctæ, ut apparet, fæminæ, suggerit parte III. Epist. tract. 7. Epist. 75. ut Scripturis sanctis evolvendis sese totam tradat, & ad id studium Interpretum quoq; ac Commentatorum adhibeat exegemata, *Eorum duntaxat, quorum fides probata est*. Id ipsum etiam futuris Mysteriorum divinatorum dispensatoribus suppeditamus, ut scil. Scripturæ jungant Commentarios *deodidactæ* Ecclesiæ Doctorum; Ut non quosvis Exegetas anxie conquirant, sed notæ melioris seu insignioris, pios, eruditos, orthodoxos, sive, ut Hieronymus loquitur, *quorum fides probata sit*. Cum enim non cuiusvis sit, pretiosum à vili discernere, ac *quid distent ara lupinis*, (Horat. Epist. lib. i. 7.) æstimare, ideò satius est, ad illorum accedere mensas, quibus nihil veneni, à quo caveas. admistum esse, persuasus sis. *Nostri Paraphrastæ*, inquit Dn. D. Calovius

vius loc. alleg. & Interpp. quibus unica cura
 fuit textum Originalem scrutari & sensum
 literalem indagare, nec temerè à proprietate
 vocum recedere longè purioribus manibus S. Codi-
 cem tractarunt, quorum proinde cùm commen-
 tationes, tum annotationes post SS. Patrum,
 Hieronymi, Chrysostomi, Theodoret, &
 Augustini, & aliorum Veterum labores in-
 pretio habende & Scholasticorum ac Pon-
 tificiorum, ut & Calvinianorum Commentis
 merito præferuntur, utpote ad germanum Spi-
 ritus S. sensum quàm maximè facientes & τὴν ὁ-
 γησάμενην καὶ ἀληθινὰν cælestis veritatis, fidei, analogi-
 am sanctè custodientes. Propter loca itaq;
 difficiliora adhibeant Verbi divini Præcones
 Orthodoxorū Ecclesiæ Doctōrū, cum Veterū
 tum Recentiorum μελετήματα, & Commenta-
 tiones, qui præ aliis genuinum Sacri contex-
 tus sensum, piè & sollicitè eruunt, & usum
 legitimum indicant, tum ut difficiliora cū
 clarioribus collata rectius intelligant, tum
 ut intellecta dextrè applicent. De ordine ve-
 rò adhibendi Doctōrum & Scripturæ Inter-
 pretum ἐξηγητῶν & Commentarios quædam
 inter Methodistas est discrepantia. Pluri-
 mi svadent, ut Concionator attendet prius,
 quid propriâ industriâ in apprehensione veri
 sensus & analysi textus alicujus, possit, quàm
 Com-

Commentatores in rem applicet & adhibeat, ita B. D. Carpzovius in Hodeget. Observ. gener. II. §. 2. idem monet B. D. Franzius, in Præfatione præmissâ tractatui de Interp. Scr. p. 7. ubi inquit; Postquam interpret & linguam & contextum primò ipsemet satis aestimavit, tum ut etiam Commentarios itidem consulat doctorum virorum, non modo ego concedo, sed & suadeo. Confer Eundem in ipso Tract. pag. 48. seq. itemq; D. Agid. Hunnius in Methodo Concionandi statim ab initio inquit; Postillarum inspectio tum demum fructuosa fuerit, ubi tua prius meditatio inventioque propria antecesserit, atq; ipsemet in presentis textus interpretatione & dispositione laboraveris, (sic enim deinde ex aliorum lucubrationibus tuas meditationes corrigere & quæ illarum inspectione tua inventioni deesse animadvertes, utiliter supplere poteris.) Balduinus quoq; in brevi Institut. Ministrorum verbi c. 12. p. 121. ab eo, qui textum sibi explicandū sumpsit, laborem & meditationem Commentariorum evolutioni præeuntem requirit, censens Commentatoribus & Postillis, non ut Magistris, sed ut Famulis utendum esse. Alii verò præstare dicunt, ab initio statim bonos Commentatores & fidos Interpretes consulere & deinde meditari & cum iudicio ex iis, quæ instituto

stituto serviant, conquirere. Vide *D. Cbrist. Chemnitium* Methodo Concionandi Regul. III. §. 3. pag. 62. Ad accuratam & ornatam concionandi rationem maximè quoq; faciunt *Concordantie Biblicæ*, præsertim *Hebrææ Veteris & Græcæ Novi Testamenti*, quæ sunt quasi *Biblia per analysin resoluta in partes quasdam*, ut definit. *D. Franzius* tract. de Interpret. Script. præcepto 2. pro Intellig. Bibliis pag. 61. sive ut ait pag. 52. *Indices absolutissimi supra totam Scripturam Sacram secundum ordinem Alphabeticum*. Duos tibi commendo, Lector, libros, (inquit ibidem) quorum utilitatem immensam satis laudare non possum, videl. Concordantias Hebræas super Vetus Testamentum & Concordantias Græcas super Novum Testamentum. Potius carebit pius & diligens scrutator Scripturarum, & quidem fontem Veteris & N. Testamenti aliis libris multis; Concordantiis utrisq; istis carere citra magnum studiorum sacrorum detrimentum nequit. *R. Mardochai Nathan* (quem alii vocant *R. Isaac Nathan*) qui primus Concordantiarum Hebraicarum author est, appellat Concordantias illuminationem viæ, sive animi in lege divinâ ambulantis. Inter Concordantias Hebræas V. T. eminent *Buxtorfianæ*; *Buxtorfius* enim Pater in
Con-

Concordantiis illis primis R. Mardochai Nathan ita omnia immutavit, auxit & interpolavit, ut vix vestigia prioris autoris appareant, novumq; meritò ac Dædalæum opus dici possit. In hoc uno Volumine compendioso artificio & artificioso compendio triplex exhibetur Liber, *Concordantia, Lexicon, Masora*. Concordantias Chaldaicas omnium vocum, quæ corpore Bibliorum Hebraico continentur, adjecit *Buxtorfius filius*. Concordantias Græcas V. T. versionis LXX. Interpretum collegit *Conradus Kircherus*, cujus egregius labor eadem operâ Concordantias Hebræas V. T. offert. Novi Testamenti Concordantias post *Henricum Stephanum*, (qui tamen non suis sed alienis manibus, opus illud concinnasse videtur) *Erasmus Schmidius*, Græcæ Ling. & Mathemat. in hac Academia quondam Professor adornavit. De Concordantiis Latinis, (quæ omnium primæ fuerunt, quibus reliquæ Nativitatis suæ debent originem,) scribit *Sixtus Senensis* Biblioth. Sanct. lib. III. pag. 185. *Est autem tanta hujus magni Indicis & commoditas & utilitas, ut quum primum studiosus Lector ipsum prudenter & cum judicio versare didicerit, & familiaritati ejus assuescere cœperit, illicò sentiat, se in illo invenisse thesaurum quendam*

dam inexplabilem, h. e. universalem & absolutissimam totius divinae Scripturae expositionem, ex cuius usu non minorem fructum ac delectationem capiat, quàm si innumeros expositorum commentarios evolveret. Longè major autem est Concordantiarum usus in Lingvis Originalibus Hebraëa Vet. & Græcâ Nov. Testamenti. Hæ enim solæ genuina, ipsaq; Spiritus S verba proponunt, illæ pro Versionum imperfectione talia nonnunquam habent, quorum nec vola nec vestigium in textu sacro apparet; ac ubi optimè etiam remtangunt, tamen Originalis textus elegantiam & efficaciam nequaquam attingunt. Hæ solæ bonâ fido similes & concordantes voces, phrasæq; Lectori exhibent; Illæ propter Interpretis varietatem frequenter sub uno themate diversus & discordantes in authentico textu voces conjungunt, & contra unam, eandemq; vocem Originalem, plurib; ac diversis ab interprete redditam in diversa quoq; loca distrahunt. Adeò verum semper manet, *dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ*, ut rectè docet *Buxtorfius Junior* Præfat. in Concord. Hebr. & Chald. *Nicolaus Fullerus*, Anglus in Miscellan. Sacr. lib. IV. cap. 7. scribit: *Concordantiarum Hebraicarum, librum verè aureum esse & usum mirificum atq; divi-*

divi-

divinum præbere, nemo Theologia, linguaq. Hebraica tam rudis & imperitus tyro, quin probe intelligat & in quotidianâ, Veteris potissimum Istrumenti lectione, magis ac magis experiatur. B.D. Hülsemannus in Method. Stud. Theolog. pag. 287. commendat incipienti Studioſo Concordantias Kircheri, in quarto, quæ sunt, inquit, quasi compendium Concordantiarum, tam Hebraicarum, quam Græcarum, in utroq. Testamento. Qui Ebræas Concordantias sibi comparare nequeunt, his Kircherianæ Græco-Ebrææ defectum supplere quodammodo poterunt, inquit Dn. D. Calovius Prædia Theol. artic. poster. Cap. II. Can. 2. Concordantiæ Germanicæ ob usum vulgarem necessariae sunt, scil. partim ut loca, quæ memoriæ exciderunt, investigari possint, partim ut per inductionem exemplorum de vocum significatione statuatur. Confer. M. Conradum Kircherum, tractatu pecul. de Concordantiarum Biblicarum usu, ubi in Proœmio inquit; Qui Concionibus ad populum habendis occupatus est, nihil solidius, nihil elegantius & quod ad mentem Θεοπρεβῆς Scripturæ exprimendam faciat, nervosius nihil, his ipsis concordantiarum administriculis excogitare poterit.

V. Ex